

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1100

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

sancti Martini, et in eisdem placitis dominum beneficii cum 6 equis suscipiant et habundanter serviant. illud etiam notificare desidero, ut si quis de prefatis mansionariis suę partis prenomatos denarios in nativitate sancti Johannis non dederit, in proximo placito cum satisfactione restituat aut in festivitate sancti Martini tantum vini, quantum ad se attinet, persolvat. si autem et vinum tunc minime reddiderit, in proximo placito cum satisfactione reddat aut post legitimas inducias hereditate cedat. si quis autem possessor hujus hereditatis defunctus fuerit, is, qui ei jure propinquitatis successerit, domino beneficii medietatem vini aut pecunię persolvat; mutato autem domino successorem ejus cum 6 equis suscipiant eique fidelitatem juramento absque omni honoris pecunia promittant et beneficium, si ei placuerit, ostendant. notum sit etiam omnibus, me Burchardum statuissse, ut is, qui beneficium ad Megenoldesheim habuerit, hoc etiam habeat ea videlicet conditione, ut in unoquoque anno in festivitate sancti Michahelis 15 uncias portenario fratrum ministret, portenarius autem has accipiens in proximo die post festivitatem omnium sanctorum pro commemoratione omnium fidelium defunctorum 3 uncias pauperibus distribuatur, duas pro pane, unam pro caseis aut alio aliquo pulmento. residuis autem 12 unciis communiter fratribus vicariis in refectorio binis et binis simul comedentibus et post hec ministris serviat, 10 solidos pro tribus frisingis et 20 pullis et 40 ovis, pro unoquoque frisingo 30 denarios et pro 20 pullis 1 unciam, pro pipere et ovis et aceto 10 denarios, pro simila 4 solidos, pro vino 4 solidos, pro scutellis et beccariis et porro 2 solidos. si dominica die aut in secunda aut in tertia aut in quinta feria evenerit, quatuor inlationes prima cum salsamento, secunda cum cocta carne, tertia cum pullis, quarta cum assa carne apponantur. si autem in quarta vel in sexta feria vel in sabbato evenerit, tres inlationes fiant de piscibus. si quis autem fratrum aberit, nisi quem infirmitas compulerit, hujus portionem decanus de mensa pauperibus dividat. quicquid autem ad mensam fratribus supererit, portenarius hospitibus et pauperibus tribuat. quod ut firmum et inconvulsum omni permaneat evo, hanc cartam inde conscribi testesque fecimus subscribi. hii sunt testes hujus rei: Brün prepositus<sup>1</sup>, Herolt decanus, Uuernhere camerarius, Uuoluerat, Eberhart, Heinrich, Cuonrat, Anshelm advocatus, Sigefrit, Regenolt, Adalbreht, Diebolt, Cuono, Lutterich, Manno, Sigefrit, Ödalrich, Erbo, Gebeno, Huc, Mereboto. acta sunt hec anno dominicę incarnationis 1101, indictione 9, 4 kalendas januarii, regnante Heinrico quarto imperatore augusto.

*B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2707 or. mb. lit. pat. sine sig.*

*Gedruckt ebendarnach in Curiosités d'Alsace II, 269 = Hanauer Constitutions des campagnes d'Alsace p. 15.*

<sup>1</sup> Vergl. das von Grandidier in Würdtwein Nova subs. dipl. VI, 269 nr. 115 und Hist. d'Als. II, 174 nr. 522 mitgetheilte Namensverzeichniss der Canonici des Domstifts, das derselbe aus dem jetzt verlorenen über regule des Stifts entlehnt hat und das er dem Ende des 11ten oder Beginn des 12ten Jahrh. zuweist.